

ad majora iuuenes praepararent, tutissimo esse literis adiumento: nec sibi persuadere poterat, nec se dignum esse censebat, versari se in hac celebri principum sede, tali arce atque domicilio eruditionis, famaeque quasi praesidio ab vrbe, & decore detracto. Ergo & iuuentuti doctrinae consecrandae viam difficultate interclusam aperuit, & bonis omnibus ad bene de omni re literaria sperandum quasi signum aliquod conspicuum sustulit. Intellectum est enim ciuibus quidem permultis, ac maxime prudentissimo cuique, quin omnino omnibus, cum hoc Athenaeum Coburgo Franco-  
niaeque, & orbi erudito constituit, consideratis praesertim antea sumtibus, eum sapientiae incrementa, utilitatemque reipublicae suis vel oblationibus, vel aulae splendoribus antetulisse. Ille quidem magni in primis literarum patroni laudem hodierno die maximam ferat, cum summo gaudio istarum regionum, tum sententia eruditorum honestissima & perenni: ex quo sane animaduertitur, quanta fuerit in animo virtus, cum in vno consilio tanta sit gloria. Est verissimum animi testimonium illud, cuius ex euentu non alia secreti opinio, quam facti ipsius praestantia colligitur. Quod diuo quidem Iohanni Casimiro merito, atque optimo jure contigit. Quis enim tantas laudes, aut verborum ornatu, aut dicendi  
ma-